

**AB**

**153553**

- 1 Day voriuachy predigant: Ein kinderherr  
so loblich & D philipp Hare
- 2 D Crullen Liedpredigant
- 3 Liedpredigant vnde Epitaphia D Fridrici  
Wilhelmi Ducis saxe
- 4 Liedpredigant polycarpi Lasseri Day d  
Kriegers Begravniss
- 5 Testament D Casparis Denicri
- 6 Liedpredigant D Casp Denicri
- 7 Landstags predigt D Polycarpi Lasseri
- 8 Petri Scargee Jesuiters predigt An haeretico  
senianda fides
- 9 Renovation y radigant D Godfrid Raben
- 10 Wiederlegung D istes predigt
- 11 Oratio sup cibis des Marggraffen von  
Anspach



T. q. 308.

o o

T

ORATIO  
**De Vita & obitu Piissimi, Il-  
 lustriſſimi & Serenissimi Principis ac Domini,  
 Dni GEORGII FRIDERICI MARCHI-  
 ONIS BRANDENBURGICI &c. Du-  
 CIS BORUSSIÆ &c. beatissimæ  
 memoria &c. Domini nostri, dum  
 in vivis fuit, Clementissimi.**

Qui VI. Cal. Maji, Anni &c. 1603. piè in Christo obdormivit Onoldi, ex hac terrestri in illam cœlestem vitam translatus, Cum vixisset annos Lxiv, dies xx, horas xix.

*Mæſtissimo quidem : grato tamen animo habita in  
 illustri Curiensium Gymnasio,*

E

Viris Amplissimis, pietate, consiliis, virtutibus &c.  
 prætantissimis Dn. Consuli & Senatoribus Reipub. Curianæ &c. Dominis suis observandis  
 dedicata

à

M. IOHANNE GASSARO

Plato τολιτικ. γ.

ΑἽχοντι τιμᾶς δοτέον καὶ λῶντι καὶ πλευτύσαντι.

**EPIGRAMMA**  
ad  
**Viros Amplissimos Dn.**

# Consulem & Senatores Reip: Cu- rianæ &c.

Dum bonus in vivis Princeps est, dignus honore est;  
Non est, si moritur, dignus honore minus.  
Hunc nostram constat, quem tristi funere raptum  
Lugemus maesto corde, fuisse bonum.  
Ergo quibus fuit affectus, dum vixit, honores  
Extinctum maneant nunc quoq; jure DUCEM.  
Et quia defuncto tristaris Principe mecum,  
Consul, & haec luctus signa, Senatus, habe.

## Gaffarūs.



## Oc igitur unum Au-

ditores Reverendi, Clarissimi, amplissimi, pietate, eruditione, virtutibus & consiliis præstantissimi Domini, fautores & amici observandi, & vos discipuli charissimi, hoc igitur, inquam, unum afflictis & ferè prostratis rebus nostris restabat, ut Illusterrimus & Serenissimus Princeps ac D. D. GEORGIUS FRIDERICUS Marchio Brandenburgicus &c, Dux Borussiae &c. Dominus noster, dum inter vivos fuit, Clementissimus &c. quo uno se spes nostræ sustentabant, acerba morte nobis eriperetur? O fortunam inconstarem! ô spem hominum falacem! ô incerta & inania vota! quis siccis oculis potest hæc dicere? quis audire? quis cogitare?

Duris in cotibus illum

Ismarus aut Rhodope, aut extremi Garamantes

Nec nostri generis hominem nec sanguinis ediderunt, qui, auditio tanti Principis obitu, non suspireret, & lacrymar<sup>x</sup> largo flumine genas non irriget; Si quando cognatus vel alias bonus & fidelis amicus fatigato concedit, tristamur, lumen, pullas vestes induimus, & cum ejulatu funus prosequimur; nec male: Natura enim nobis hoc inde à prima Mundi creatione insevit; Unde videmus etiam bruta propullis suis pugnam nō detrectare, & ubi erectos sibi vident, quibus possint modis, luctum suum demonstrare. Quin & sapiens Siracides de eodem nos monet & jubet, ut mortuos in acerbo dolore deploremus, καὶ τὸ πένθος οἰκόσωμεν τῷ αἴσιοις αὐτῶν. Quid itaque facere nos decebit in funere Illusterrimi nostri Principis ac Domini, dum vixit, Clementissimi? an non κατὰ αἴσιοις αὐτῶν, lugeamus? Amisimus enim

A ij non

non aliquem de plebe hominem, & cuius similem statim  
sufficere possimus; non privatum; non inimicum; non ty-  
rannum; Sed principem, Principem inquam, Patriæ Pa-  
trem; Ecclesiæ nutritium; Romani Imperii columnam;  
ut paucis dicam, unusquisq; nostrum amisit parentem dul-  
cissimum. Arbor, quæ nobis suavissimam diu præbuit um-  
bram, jam est succisa. Pervigil ille custos ovium est occisus.  
Quid de nobis futurum est? orphani sumus: Oves pastore  
destitutæ sumus: in vasta hinc inde erramus eremo: Iam  
periculum imminet nobis à frigore & Solis æstu; imminet  
ab harpyiis; imminet à lupis aliisq; beluis rapacibus. O nos  
miseros, imò miserrimos omnium! quid jam tentabimus?  
quò fugiemus? quod asylum? quam ancoram inveniemus?  
Quò magis magisq; cogito, nisi Deus nos respexerit, de sa-  
lute nostra actum est, actum est inquam. Quid itaq; facie-  
mus? cogitabimus, Auditores &c. quantū & qualem Prin-  
cipem amiserimus. Athac ratione, inquies, dolorem au-  
gebimus, quin potius aliquam huic malo medicinam pa-  
remus. Vellem quidem: Sed ea quorundam vulnerum  
& morborum est conditio, ut, si statim ab initio ma-  
num admoveas, plus obsis, quam pro sis, adeoq; malum,  
quod alias paulatim defæviret, latius serpat & gravius affi-  
gat. Canes videmus, ubi lapidibus à viatoribus impetiti  
fuerint, rabidam consurgere in iram, & majores latratus  
edere, quin etiam abeuntes & fugientes longius insequi,  
dentes & morsus intentantes: Sic si recentem dolorem  
& largo ruentes lacrymas flumine cohibere nitaris, tanto  
magis excitabis, quod & Poëta ait:

*Strangulat inclusus dolor atq; cor æstuat intus,  
Cogitur & vires multiplicare suas.*

Non

Non igitur lacrymas reprimamus & luctum dissimule-  
mus, sed potius, quia eodem teste

*Est quædam flere voluptas*

*Expletur lacrymis egeriturq; dolor,*  
hac quoq; in parte pietatem nostram videri patiamur, ne  
de nobis, tanquam ἀσόργοις & feris etiam magis feris, homi-  
nes male loquantur, ut Sapiens ait.

Quod ut eò commodius fieri possit, Illustrissimi nostri  
Principis ac Domini vitæ curriculum describemus, non  
quidem ut singula ornatè & sublimis orationis genere, sed  
potius paucis verbis & quantum justus dolor & lacrymæ  
nobis permiserint, persequamur, & quos Principes, Cæsa-  
res, Vitosq; illustres in optimis quibusq; virtutibus æmula-  
tus fuerit, paucis perstringamus. Optassem equidem  
alii potius, qui thyrso delectantur, & eloquentia me (liben-  
ter & verecundè agnosco meam tenuitatem) multis para-  
fangis post terga relictum antecedunt, hanc dicendi pro-  
vinciam arripuiissent. Maluisse sancè eorum eruditas &  
Pericleas audire orationes, quam dubiæ rem alex subire,  
& anser inter olores strepere. Sed reliquis alto luctum si-  
lentio dissimulantibus, cum quia à Reverendo & Clariss:  
Viro Domino Aurelio Streitbergero S. S. Theologiæ D.  
Ecclesiæ huius Superattendente, & Scholæ nostræ Inspe-  
ctore &c. Socero meo officiose colendo jussus eram, tum  
quoq; alias religio mihi fuit tanti Principis erga suos subdi-  
tos merita non referre, & ob ejus obitum luctum non te-  
stari. Vocent me in eloquentia infantem, vocent audacu-  
lum, vocent ut velint, non motor. Malo talis videri, quam  
impius, quam ingratius esse. Illustrissimus enim & Sere-  
nissimus Princeps noster me, licet extra suum territorium  
& ditiones natum, benignè suscepit, clementer fovit &

A iij pro-

promovit, innumeris beneficiis ornavit, &c., ut dicam quod res est, tantus in Imperio Romano Princeps me infimæ conditionis hominem adeò sibi curæ esse voluit, ut etiam in alias regiones legitimè vocatum dimittere noluerit, Sed hîc honesto etiam, præter illud, quod dudum acceperam, Salario ex mera munificentia addito, consistere voluerit, jusseritq;. Quanto itaq; majora ab ejus Celsitudine accepi beneficia, tanto etiam majorem me adhibere par est diligentiam, ut vel piè defuncto non ingratus fuisse videar.

Vestrūm erit Auditores &c. non tantum me perorantem attentè audire, verum etiam præ vobis eam ferre pietatem & luctum, qui à liberis piis, probis & φιλοσόγονοις in funere charissimorum parentum requiritur. Post victoriā ad Plateas ab Atheniensibus Lex lata fuit, ut Rhetores præcipui laudes defunctorum edocendas & gesta commemoranda susciperent. Apud Romanos item mortui publicè & laudabantur, & ea quæ dicebantur, avidè admodum audiebantur. Sic, ut alia omittam, dici vix potest, quàm æquis & benignis auribus populus Romanus Appii Claudii Decemviri laudationem audiverit. Cedò quid nos decebit, qui Christiani esse & haberi volumus? Cum præsertim tantus ac talis Princeps, quem omnes meritò desiderant, obierit. Et certè pluribus à vobis contenderem verbis, nisi jamdudum vestrūm erga me perspexisse animum, & vos lacrymis in genas decidentibus, arreatisq; auribus me potius ad dicendum, quàm ego vos ad auscultandum, invitaretis. Sed ubi incipiam? Latissima patet in laudes hujus optimi Principis area, latissimus campus, vastus Oceanus, adeò ut quid primo, quid secundo, quid ultimo dicam loco, planè nesciam. Sicut enim vasa, quibus orificium est angustius humorem copioè infusum

non



Non capiunt, quin imò prorsus respuunt: ita in tām fēcunda  
materia, tantum abest, ut eloquentiam aliquam ostentare  
possim, ut etiam publici doloris acerbitas & magnitudo,  
quæ quantascunq; ingenii vires retundere, eloquentiæq;  
nervos haud parum valeat incidere, lacrymis quoq; & sin-  
gultu vocis iter impediente & intercludente, me pene ob-  
mutescere cogat.

Summa itaq; sequar fastigia terum, & luctui, non tan-  
tis rebus & augustæ materiæ, utar convenientie oratione.

Apud Ægyptios mos fuit, Regis defuncti vitam, res ge-  
stas, dicta, religionem, justitiam, pietatem, sine ulla opum  
fortunarumque mentione, ex altis suggestis in maximo  
omnium conventu recenseri: Id & ego mihi faciendum  
puto. Quæ enim fortunæ sunt bona, ea, qua conceduntur  
facilitate, etiam eripiuntur: Animi autem sola sunt stabilia  
& perpetua.

#### Nativitas.

Natus est Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus  
**GEORGIVS FRIDERICVS** Marchio Brandenburgic⁹, Nonis  
Aprilibus, Anni 1539. horam ante tertiam pomeridianam.  
Onoldi, quod oppidum est, ut scitis, in agro Norico, locus  
cum cœli clementia, tūm Soli amœnitate & fertilitate gra-  
tissimus.

#### Pater.

Patrem habuit Illustrissimum item & Serenissimum  
Principem ac Dn. Dn. G E O R G I U M, ex illustrissima Mar-  
chionū familia oriundum, per cuius laudes si nunc ire vaca-  
ret, unius hominis eloquentia nō sufficeret, Unde ob virtu-  
tes singulares qdēm, sed tanto Principe dignissimas omni-  
bus fuit admirationi, & mortuo Vladislao Ludovici Hun-  
garie & Bohemiæ Regis undecim annorum Pueri de Patris  
voluntate

voluntate altor, & morum informator relictus est, quam provinciam, ita administravit, ut Dubrayius Moravus hac in parte fidem mereatur planè nullam: Nam si ejus præceptis Rex adhuc junior dicto audiens, nec adulatoribus & hujus generis hominibus adeò delectatus, vel aliàs fato suo satis infelici seductus fuisset, Regibus sui temporis omnibus regalior extitisset. Adde hîc etiam non fucatum erga subditos amorem, quos, dum vixit, nullis vectigalibus oneravit, nullis bellis implicuit, sed ita præfuit, ut mortuum multis lacrymis prosequerentur.

Nolo aliquid addere de Avo Friderico: Nolo de proavo Alberto, qui ob res egregiè cùm domi tùm foris gestas, à Pio II. summo Pontifice, Achillis Germanici cognomentum est adeptus, cùm de iis ad manus plures historicorum sint libri,

*Mater.*

Ad genus maternum quod attinet: Matrem habuit beatissimus noster Princeps **ÆMILIAM**, Henrici Ducis Saxoniae filiam, Mauricii & Augusti Electorum Sororem, in quibus quantum fuerit religionis sinceroris, & à Papisticis quisquiliis repurgatæ studium, me ornata oratione persequi non posse ingenuè & verecundè fatcor, aliis, qui & ingenio & genio meliori sunt nati, rem intactam relicturus. Hisce parentibus, Auditores &c. natus fuit Illustrissimus Princeps **GEORGUS FRIDERICUS**.

Quanquam autem ut Poëta ait:

*Et genus ex proavos ex qua non fecimus ipsi  
Vix ea nostra voco.* Et:

*Virtute decet non sanguine niti.* Ac ut alius scribit:  
*Tota licet veteres exornent undiq; ceræ  
Atria: nobilitas sola est atq; unica virtus:*

Tamen

Tamen, ut Euripides ait:

ζει τοι πατρός καλλιορ γέρασ  
ν πατρός οὐδελέη νάγανθ πεφυέναι.

Et Pindarus: Φυᾶ τὸ γενναῖορ ἐπιπλέπει εἰς τῷ πατέρῳ ταύται  
λῆμα. Sic Flaccus noster testatur:

*Fortes creantur fortibus & bonis  
Est in juvencis: est in equis patrum  
Virtus: nec imbellem feroce  
Progenerant aquilæ columbam.*

Sed fac esse, liberi aliquando à Parentum virtutibus  
multūm degenerant: Pius erat David, Impius Absolon  
ejus filius, & Homerus ita exclamat 2. Odyss:

Παῦροι μὲν τοι παῖδες ὄμοιοι πατρὶ πέλονται  
οἱ πλεόνες κακίας, παῦροι δέ πε πατρὸς ἀρείας.

#### *Educatio.*

Atqui noster Princeps non tantum paternæ substantiæ & gubernationis erat hæres unicus: Verùm etiam virtutum æmulus alacerrimus, adeoq; ut si majores nō superaverit, & quaverit tamen nulli laude secundus. Ad quam rem jam inde ab ineunte ætate, post parentis piissimi, quem puer nondum quinquennis amisit, obitum, habuit domi unde disceret, Matrem omnium fœminarum clarissimam, religiosissimam, pro filii salute & liberali educatione vigilans, quæ filio, ut Pulcheria Theodosio, & Placidia Arcadio fratribus, ad puram Evangelii doctrinam & amplexandam & propagādā omnisq; generis virtutes exercendas autor fuit. Præceptores item habuit doctissimos, morum integritate laudatissimos & fidelissimos, unde optimæ indolis Puer, in optimis, quæ virum Principem & terrę Dominum decent, virtutibus, tantum brevi profecit, ut licet junior ad Reipublicæ clavum sedere cepit: tamen

B

vel

vel senioribus esset admirationi. Duo sunt Auditores &c.  
quibus bonum Principem, qui bene suis subditis velit pre-  
else, ornatum esse condecet, unum Pacis propagandæ stu-  
dium, alterum armorum peritia. Ad hoc quod attinet bel-  
li quidem peritus esse debet Princeps, non ut ultrò bella  
appetat: Eorum enim exitus sunt incerti, & saepe spoliante  
jam & exultantem evertunt, Sed ideo suscipiat, ut in pace  
sine injuria vivere possint subditi, ut Tullius verè ait. Ideoq;  
pacis longè postponenda sunt. *Inter arma silent leges*

*cedit viribus aequum*

*Victag̃ pugnaci jura sub ense jacent.*

Dulce verò nomen pacis, res ipsa cùm jucunda tūm sa-  
lutaris. Pace vigente omnia vigent. *Pax*, ut Silius ait,  
*optima rerum.*

*Quas homini novissē datum est: Pax una triumphis  
Innumeris potior: Pax custodire salutem,  
Et cives aquare potens. Unde & Virgilius exclamat:  
Nulla Salus bello, Pacem te poscimus omnes.*

*Studium pacis.*

Ad Illustrissimum quidem & Serenissimum Principem  
quod attinet, verè fuit GEORGUS & FRIDERICUS. Nam  
quia *Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres,*  
fuit etiam, dum hisce præfuit terris, pacis studiosus.

Policebant quoq; & expetebant ea tempora, quibus hic  
Noster gubernare incipiebat, ejusmodi Principē, qui pa-  
cis quam belli esset studiosior: Assiduis enim, dum Illustris-  
simus ille & bellicosus Princeps ac Heros Albertus, felicis  
recordationis, vixerat, & diversis in locis militaverat, bel-  
lorum tumultibus juventus erat rarioꝝ, opes subditorum  
exhaustæ, urbes & castella direpta, agri vastati, & ut paucis  
dicam, misera regionis facies. Quę respirandi & quiescendi  
facultatem



facultatem unicè expetebat, quod pro sua singulari prudētia videns Illustriſſ: & Sereniss: Princeps ac Dn: Dn<sup>o</sup>.  
**G E O R G I U S F R I D E R I C U S &c.** *Ante annos animumq;  
gerens curamq; virilem*, rationes secum iniit, ut non modò id temporis, verùm etiam, dum viveret, infinita aureæ pacis commoda subditi sentirent, non tām in ore quām corde habens illud Africani, quo etiam Antoninus Pius delectatus fuit: Malo unum civem servare, quām mille hostes occidere. Communem nimirum hanc habet laudem, cum Phocione Duce præstantissimo, qui & ipse, licet per Iudibrium, à Leosthene interrogatus, quidnam suo tot annorum imperio Reipublicæ profuisset? non parum vero, inquit, quod videlicet cives in propriis sepulcris sunt humati. Et quia Pacem duabus rebus bene stabiliri, & in diuturno vigore conservari noverat, Bonis scilicet Legibus & sincerioris religionis studio & conformitate, hac quoq; in parte nihil desiderari potuisse & etiamnum posse liquidò deprehendimus.

*Bonæ Leges.*

Ad bonas enim leges quod attinet, ille noster Princeps jam inde ab initio gubernationis cura suscepta bonis legibus, ut Iustinianus Imperator ait, armari voluit, Et quia præcipuè in negociis criminalibus non parva erat in plerisq; locis confusio, quid de singulis statuendum esset, Iurisconsultis doctissimis in consilium adhibitis, accurata rationis trutina perpendit, & tandem iis omnibus in certum ordinem redactis, eas leges præscripsit, secundum quarum normam etiamnum vivimus. In causis quoq; civilibus, quas vocat, quid ratum esse vellet, publicis rescriptis haud semel testatus est. Ubi in primis notatu dignum est, quod Illustriſſimus Princeps, non ut ille, leges precio fixerit atq;

B ij refixerit,



refixerit, sed semel lata ab omnibus ex æquo servari sevē-  
rè admodum præceperit. Custodem quoq; non, (ut impii  
Bassiani impia ait Noverca) Dominum Legum se esse vo-  
luisse, vel eo probavit, quod se iis quoq; subjecerit, & se-  
cundum justitiæ normam omnem suam vitam instituerit,  
Unde bonis sua fuere præmia, malis pœna constituta. O  
felicem urbem! O felicem regionem! ubi æquitas præ-  
fertur gratiæ & inimicitiæ; Iustitia injustitiæ, & ut paucis  
multa complectar, plus valet Legum autoritas quam mu-  
nerum largitas: Nemo enim ibi alterum ledit, sed, ut quisq;  
honestè vivere, ita unicuiq; jus suum tribuere ex animo  
gestit. Nec verò tantum Illustrissimus Princeps, ad se  
quod attinet, fuit justi tenax, sed etiam exemplum imita-  
tus est regii Prophetæ Davidis, qui Psalmo 101. ita de se ait:  
Non propono ante oculos meos rem injustam, facientes  
prævaricationem odi, non adhærebunt mihi. Oculi mei  
super fideles in terra ut habitent mecum: ambulans in via  
immaculata, hic mihi ministrabit. Hoc inquam Illustris-  
simus princeps est imitatus, & fucos in aulam irrepere non  
passus, eos sibi adjunxit, & muneribus publicis præesse jus-  
sit, qui (quod lethro Mosi suo genero suasit) essent sapien-  
tes & timentes Deum, in quibus amor veritatis & odium  
avariciæ. Æmulatus hac in parte Constantinum Impera-  
torem, qui in magistratibus & conferendis dignitatibus  
adeo diligens æstimator fuisse dicitur, ut neminem, nisi  
dignum, promoverit. Inde subditi non fuerunt perturbati,  
non immodicis exactiōibus ab hirudinibus onerati, sed  
justitia & pax se mutuò fuerunt osculata sub tam justo &  
pacifico Principe, Qui ideo à subditis suis fuit amatus, tanq;  
cœlitus à Deo demissus esset, cultus & omni debitæ subje-  
ctionis & observantia genere honoratus. Nec verò fuit  
ad eō

ad eò rigidus & rigidius exactor, ut omnia ad vivum rese-  
caret, sed si salvâ conscientiâ fieri posset, multum de juris  
rigore remisit, Pudore & liberalitate subditos retinere sati⁹  
esse credens quām metu, Etiā illud Vespasiani subinde ani-  
mo perpendens: Non oportet quenquam à Principe tristē  
recedere, ut verè de ejus Cels: usurpare possis illud Ovidii,  
& dicere: / *Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox*  
*Quiq; dolet quoties cogitur esse ferox.*

Ægyptiorum reges, nil agebant propriis affectibus, sed  
omnia juxta Legum præscripta, Unde omnium benevo-  
lentiam subditor̄ ad eò consecuti sunt, ut singulis Ægy-  
ptiis major regis quām uxorum, filiarum vel aliorum salutis  
in esset cura. Eberhardum Principem V Virtebergensium  
inter cæteros fructus, quos è ditionib⁹ suis perciperet, tan-  
quam maximū referre solitum accepimus, quod auderet  
quocunq; loco & tempore in sinu uniuscujusq; ex suis sub-  
ditis tutò & sine metu insidiarum capere somnum. Magna  
quidem imò laus maxima, sed communis cum nostro Prin-  
cipe: Cum enim talis & tantus in suæ gubernationis curri-  
culo esset, adeoq; nec unicum suorum subditorum præter-  
jus & æquum offendisset, quin imò omnibus & singulis ex  
æquo se patrē (Σερένης οὐαφέσι αἴρχωρ αγαθὸς αγαθὸς πατρὸς)  
exhibuisset, tantum abest, ut conspirationes, ut alibi, contra  
eum factæ & insidiæ structæ fuerint, ut etiam ab omnibus  
& singulis amaretur, coleretur, suspiceretur. Fridericus  
Marchio Misnensis, à quo (maternā quod attinet stirpem)  
& noster Illustrissimus Princeps originem trahit, ut supra  
dictum est, ab Alberto Imperatore ad colloquium Alden-  
burgum vocatus erat, Qui nihil fraudis (Germanos enim  
temper apertos & minimè suspicaces fuisse constat) subesse  
tatus & paucis militibus stipatus comparet quidem, sed in-

terea Sicarius quidam ad id conductus, cum solenne celebaretur convivium, irruptit stricto gladio Marchionem impetratus & interfectorum, ubi Sathelles quidam Friburgensis Friderici civis, corporis sui objectu lethalem ictum excepit, Sicarii propositum frustratus, ut interea Marchio suæ saluti prospicere posset. Quem ex subditis Illustrissimi nostri Principis fuisse putas, qui, si res ita tulisset (quod tamen Deus prohibuit benignè) pro Domini salute vitam suam non devovisset? Ne unicum quidem, qui recusasset, invenisses, adeò sibi beneficiis omnes & singulos devinxerat, &, quod de Alexio Angelo Byzantino Imperatore scribit Nicetas, nemini oculos effodit, nec membra mutilavit, neq; carnificina hominum delectatus est, neq; ultra matrona, quamdiu imperavit, ob maritum interfectū pulchram vestem induit, neq; quisquam contumelia affectus fortunas suas deploravit. Adde quod illud Theodosii Iunioris dictum sibi placere re ipsa comprobavit, qui interrogatus, cur adeò paucos mortis cōdemnaret, utinam, inquit, mortuis vitam restituere possem. Quin imò & nos illud, quod populus Romanus de Pertinace Imperatore dixit, verè usurpare & dicere possimus: Georgio Friderico Marchione imperante, securi viximus, neminem timuimus, Patre pio, Patre patriæ, Patre omnium bonorum. Multa, Auditores &c. consultò prætermittam, quæ tamen huc maximè facere videbantur, consultò inquam prætermittam, cùm quia plerisq; omnibus, qui in hisce terris vivimus, sunt notissima, tūm quia brevità, cuius semper amans fui, studio, & alii felicius ea adducere poterunt.

*Religionis Studium.*

Iam ad alterum, quo pax conservari debet ac potest, vide licet Religionis studium & conformitatem me conferam.

Date

Date mihi quæso, hoc veniæ, si fortassis diutius q̄ vel par  
est, vel ipse in animo habui, hic fuero immoratus. Religio-  
nis conformitas vinculum est societatis humanæ. Hæc ab  
initio homines ferarum more in sylvis degentes in unum  
locum coëgit, urbes condere, amicè cōversari, & diurna  
regna stabilire docuit. Ea quoq; mutata, mutantur unā ho-  
minū voluntates, adeò ut, qui dudū inter se amicè vixerint,  
cum jam diversa sacra constituerint, una sede non morent,  
inde sequuntur animorum distractiones, civium factiones,  
&, qui ante communi Marte hostes suos invasissent & pro-  
fligassent, ipsi eamū more in se & sua viscera sæviunt, & mu-  
tuis armis, licet eodem sanguine nati, cōcidunt, vel nervos  
adeò sibi incidunt, ut tantum absit, ut hostib⁹ pares esse pos-  
sint, ut etiam aliorū imperio se subdere cogantur, Hæc pro  
sua paterna, erga subditos, affectione & summa prudentia  
considerans Illustrissimus Princeps, ante omnia Religionis  
curam suscepit maximam. Nec cuilibet sectæ in morem  
arundinis à quolibet vento agitatæ subscribere voluit. Sed  
ante omnia quæ verior & sincerior esset religio accurata  
ratione perpendit, nec suo solius hac in parte stetit judicio,  
sed viros summos & Theologos doctissimos in consilium  
adhibuit. Ubi facile deprehendit doctrinam Pontifi-  
ciam sacris literis è diametro adversari & humano fra-  
giliq; admodum intiti fundamento. Cinglianam rationē  
& sapientiæ humanæ plus, quam Deo ipsi, tribuere. Lu-  
theranam verò, quam vocant, in Comitiis Augustanis an-  
ño 30. 25. Iunii, Cæsar: Majestati à quibusdam S. Imperii  
Proceribus & Urbibus oblatam, fundatā esse super fun-  
damentum solidum Prophetarum & Apostolorum, adeòq;  
Christi ipsius summi nostri Pontificis, & nisi nō humano, sed  
summo verbi divini, quæ sola est potentia ad salutem omnī  
credenti

credenti, testimonio & autoritate. Eam itaq; constantissimi  
Domini Parentis exemplo tanta cum devotione amplexus  
est, ut quod de Romano illo dictum fuit, citius Sol à con-  
sueto cursu, quàm Illustrissimus Princeps à veræ religionis  
tramite abduci potuisset. Ideoq; sub primis gubernationis  
annis, non modo ipse Lutheranam, vel ut alias vocant Pro-  
testantium Religionem professus est, in Comitiis Num-  
burganis anni 54. Mense Martio, sed etiam cum cæteris  
Principibus purioris doctrinæ assertorib<sup>9</sup> Augusto Electo-  
re, Iohanne VVilhelmo, & Iohanne Friderico Ducibus  
Saxonibus, Ioachimo II. Electore, Iohanne, & Iohanne  
Georgio Brandenburgicis & quibusdam Landgraviis Hes-  
sis fœdere inito, se in omnibus & singulis suæ ditionis Ec-  
clesiis doctrinam Confessionis Augustanæ retenturum, &  
nihil in ea omnino mutaturum esse, palam testatus sancte  
affirmavit, & hujus quasi juramenti, dum vixit fuit memor  
& tenacissimus, adeò, ut eam, quā semel confessus & profes-  
sus erat, religionē, non tantum ipse constanter retinuerit,  
verum etiam in suis ditionibus propagaverit, nihil sibi prius  
& posterius esse debere ratus, quàm ut subditi unà cum  
pace temporali etiam sanis & incorruptis animarū pascuis  
fruerentur. Cujus ut compos fieri posset, ante omnia ope-  
ram dedit indesinentem, ut in suis regionibus sinceroris  
religionis Confessores, Professores & Doctores, licet haud  
exiguis invitatos sumtib<sup>9</sup> haberet, qui, secundum Lydium  
S. Scripturæ lapidem, fidei suæ commissos auditores & disci-  
pulos cùm in scholis, tūm Ecclesiis, publicè reprehensis  
corruptelis & fraude adversariorum detecta, instituerent  
& informarent. Deinde quia semel atq; iterum lupi etiam  
pelle ovium induti clam irrepere, & virus suum dissemina-  
re atq; ita conscientias secum captivas ducere ausi fuerant,  
provida



provida Illustrissimi Principis nostri cura statim ab initio  
illis restitit & tentatis omnibus, quibus errantes in rectam  
reduci possent viam, serio revocantes in gratiam recepit,  
obstinatè verò in suis opinionibus contra Ariadneum S.  
scripturæ filum perseverantes expulit, ne

*sicut grec totus in agris  
unius scabie cadit & porrigine porci:*

Ita reliqui quoq; qui dudum veriorem doctrinam imbi-  
berant, dubii redderentur. Nec hisce piissimus Princeps  
contentus, in singulis diœcesibus quotannis synodos fieri  
jussit, ubi verbi divini & religionis ministri statis tempori-  
bus convenient, de fidei articulis controversis placidè &  
ut Christi imitatores decet, amicè conferrent, & ita ad a-  
mussim ductumq; sacrarum literarū suos auditores erudi-  
rent. Certa quoq; ut haberetur doctrinæ norma, præcepta  
Catechetica (Margaritam vocant Theologicam) in qui-  
bus de plerisq; omnibus fidei nostræ articulis methodicè  
agitur, à Reverendo & Clarissimo viro Dn. Adamo Francis-  
ci Abbe Hailsbrunnensi &c. conscribi, & aliorum Theo-  
logorum calculo approbata in omnibus Scholis ediscenda  
discipulis proponi curavit. O providam Illustrissimi Prin-  
cipis pro suis subditis curam! ô paternam affectionem!  
Veteribus principes & gubernatores τῷ πλένεις λαῶν dicti  
fuere, & rectè sanè: Sicut enim pastoris est boni, non tan-  
tum oves suas pastum deducere, & contra lupos & omnis  
generis imminentia pericula defendere atq; protegere, sed  
etiam de salubri pascuo providere: Ita Illustrissimus noster  
Princeps non modò ut in pace viveremus, verum-  
etiam ut puram & incorruptam Evangelii doctrinam pro-  
rostris & publicè audiremus, obnoxè dedit operam. Habuit  
nimirum hac quoq; parte cùm multos Reges & terrarum

C Dominos,

Dominos, quos imitaretur, tūm p̄fæserit Iosaphatum  
Asæ filium Regem Iudæorum, qui & ipse per universam  
Iudæam, qui legis librum legerent & docerent, constituit:  
Habuit Ezechiam itidem Iudæorum regem, qui per uni-  
versas Israëlitarum tribus misit præcones, qui populum ad  
seriam pœnitentiam agendum, & veram doctrinam am-  
pleteſtendam invitarent: Habuit Constantiū Magnum,  
qui incredibile noctes diesq; studium adhibuit, ut ex ani-  
mis subditore errores idololatricos evelleret & extirparet,  
Et quid in antiquis adducendis labore? Habuit exempla  
Illustrissimus noster Princeps paterna & avita: Nam ut  
jam de Domino parente G E O R G I O, dicam: Cum anno  
1530. in Comitiis Augustanis Imperator Carolus hujus  
nominis V. à sacrificulis suis persuasus Articulis Augusta-  
næ Confessionis, adeoq; ipsis, quos Lutheranos & Pro-  
testantes vocant, minus æquus videretur, multis Cæsa-  
ris iram reverentibus, & ideo p̄æ metu quasi hiscere non  
audentibus, laudatissimus hic Princeps surrexit, & debita  
reverentia erga Magistratum superiorē facta, clara &  
aperta voce, cum summa superstitionis Cacolyca proce-  
rum admiratione, professus & DEUM testatus est, se mal-  
le coram Imperatoria Majestate caput sibi amputari, quam  
religionem illam semel sacrarum literarum lapide lydio  
probatam, imò unicè veram deferere. Quo dicto ipsum  
Cælarem, cui lapides & tonitrua visus est loqui, adeò mo-  
vit, ut non modò in hæc verba proruperit: Mi Princeps  
non agitur de capitum amputatione; Sed etiam postea  
æquior partibus nostris factus Pacem religionis confirma-  
verit. O Christianam in tanto Principe constantiam!  
Alii quidem hoc ipsum in animo habebant, sed poten-  
tiam Imperatoris reveriti metu dissimulabant. Hic vero  
Noster,

Noster , Christi sui Præceptoris & Redemtoris memor,  
Deo magis obtemperandum quàm hominibus esse cen-  
suit,firmiter credens fore, ut,qui Christum coram homi-  
nibus confiteatur, illum Christus etiam coram Patre suo  
cœlesti confiteretur. Ejus avus maternus, Illustriss: & Se-  
renissimus Princeps ac Dominus Heinricus Dux Saxo-  
niæ tanto purioris doctrinæ flagravit amore, ut licet Ge-  
orgius frater Eum propter Lutheranam ( uti perperam  
vocant) sectam omni hæreditatis & successionis jure pri-  
vare vellet, nisi pontificio dogmati subscriberet: Et ideo  
jam morti vicinus legatos ad eum mitteret, è vestigio ta-  
men responderet : Vestra legatio repræsentat illud , de  
quo in sacris literis legitur, Cum Satanas Christo omnia  
in mundi regna polliceretur, Si ad pedes procidens ipsum,  
ut Deum , adoraret : Addidit etiam generosi Princeps  
Spiritus & constans veritatis assertor, Et, an tanti esse apud  
me,inquit,putatis ullas opes, ut earum causâ à semel agni-  
ta religione & , quæ ad veram beatitudinem ducit, via rece-  
dam ? Multum vos vestra fallit expectatio. O dictum  
tanto Principe dignissimum! Maluit, licet amplissimis &  
ditissimis fratris regionibus carere, quàm cum mala con-  
scientia possidere, in animo habens illud Psalmistæ:

*Malumus esse tua pars contemtissima turbæ*

*Liminaq; ad templi sancta sedere tui:*

*Atria quàm Christo spoliata habitare columnas*

*Marmoreas*

Placuit hæc Deo confessio, qui ideo Principem Hein-  
ricum non modò in clientelam & fidem suam fecerit: Ve-  
rum etiam præter voluntatem fratris Georgii omnes di-  
tiones ei attribuit. Præterea ejus uterq; filius ad Electro-

C ij ratum

ratum summam à Cæsare in Imperio Romano dignitatem  
ejectus fuit, Et adhuc in illa familia non sine summa lau-  
de manet atq; tantisper manebit apud posteros, dum ve-  
ræ religionis studium curaverint.

De Avunculo materno Augusto Saxonum Electore  
quid dicam? Malo tacere quām semiperfecta oratione  
adducere. Pleni sunt ejus egregiè factorum, præcipue,  
quod ad sincerioris religionis propagationem attinet, o-  
mnium ferè libri! Omnia ore celebratur, & à posteris  
celebrabitur, nec immerito: quod enim de Fabio Maxi-  
mo, de eo quoq; Principe dicere possumus:

*Unus homo nobis curando restituit rem.*

Notissima sunt hæc omnibus, ideoq; hac vice præ-  
termittenda. Hos inquam Illustrissimus noster Princeps,  
quos imitaretur, habuit, adeoq; feliciter imitatus est, ut si  
non superaverit, pari tamen passu ambulaverit. Præterea,  
video enim, Auditores &c. vos jam attentiores factos,  
non tam de sūx ætatis quām posteriorum salute Illustris-  
simus noster Princeps fuit sollicitus: Nam quia pro sua sin-  
gulari prudentia probè noverat, Scholas esse Seminarium  
Ecclesiæ, ex quo tanquam equo Trojano progredi ne-  
cessè est, qui aliquando in omnibus societatis humanæ sta-  
tibus Deo militare, & hostibus cùm in Ecclesiis tūm Re-  
bus publicis pro virili resistere debent, In hanc quoq; cu-  
fam unicè incubuit Illustrissimus Princeps, ut in singulis  
Civitatibus Scholæ aperirentur, in quibus juventus in fun-  
damentis linguarum & artium eruditiretur, & inter eas  
primarias voluit esse Fontanam, Onoldinam & hanc Cu-  
fianam, in quibus non modò viros pietate, eruditione &  
virtutibus præstantes salario, unde bene & honestè se su-  
osq; sustentare possent, ex larga & tanto Principe digna-  
muni-

munificentia constituto, fovit, atq; linguas, & artes, quas,  
quia libero homine sunt dignæ, vocant liberales, imprimis  
verò pietatis veræ fundamenta summa cum fidelitate &  
dexteritate docere jussit, Et quia multis obstabat res an-  
gusta domi, eratq; ἀδύνατος ἢ ράσιον τὰ καλὰ πράτημ ἀχερ-  
γυτον οὐτα, ut Aristoteles ait:

*neq; enim cantare sub antro*

*Piero Thyrsumue potest contingere sana*

*Paupertas atq; aeris inops, quo nocte dieq;*

*Corpus eget*

Ut hac quoq; in parte pauperum liberis & orphanis, qui  
aliás, licet optimo ingenio, ppter egestatē ad studia aspirare  
non possent, nō deesset, larga constituit stipendia, ita ut etiā  
in scholis trivialibus, victum, amictum & alia ad studia li-  
beralium disciplinarum, necessaria ex largissima Illustris-  
simi Principis habeant munificentia. Sic in Schola Fon-  
tana 100. in Onoldinia 24. ut audio, & totidem in hac nostra  
subditorum pauperū sustentantur, & in optimis quibusq;  
disciplinis veroq; pietatis studio informantur liberi. Et  
ne sumituum magnitudine deterriti studiis postmodum  
valedicerent, in Academiis quoq; sexaginta ex iis, qui  
strenuam in discendo artes triviales navarunt operam, sin-  
gulis annis dato stipendio 40. 50. & 60. florenorum, vi-  
vere, & in studio Theologico institui ideo voluit, ut etiam  
subsecuturis temporibus essent, qui verbum D E I purè  
& sincere aliquos docere, veram doctrinam probatis & fir-  
missimis argumentis defendere, & contrariam hæretico-  
rum opinionem solidè ex sacratum literarum fundamen-  
tis infringere & refutare possent, ac ita lupum venientem,  
non ut mercenarii fugerent, sed ut boni pastores ad exem-  
plum Christi unici nostri ἀεχ!ποιμένο fugarent. O sum-

C iiiij. mām

niām nostri Principis prōvidentiam ! ô in subditos amo-  
rem ingentem ! ô pro posteris curam maximam ! ô inex-  
haustam & largissimam munificentiam ! Videas eorum,  
qui paulò sunt ditiores, liberos rarissimè animum ad libe-  
ralium artium studia adjungere, sed potius ad aliud vitæ ge-  
nus se conferre, & illi studeant, dicere, qui aliàs se suosq;  
alere non possunt : Ego Majorum virtute ditione sum, quām  
ut eruditionem expetam. Videas quoq; Parentes, qui o-  
mnia potius in filiis suis ferrent, etiamsi pessima, quām ut  
animum ad discendum applicent. Idq; ideo, quia timent,  
ne rei suæ aliquid decedat, & ita pauperiores fiant. Vi-  
deas è contrario pauperes ad summum eruditionis fasti-  
gium aspirare quidem, sed haud raro propter egestatem in  
medio cursu vela vertere cogi. Hisce Illustrissimus Prin-  
ceps subvenire, & hanc ingentem sanè & numerosam pe-  
cuniæ summam potius in hosce sacros quām alios usus vo-  
luit convertere. O factum pauperibus commodum ! pa-  
triæ toti salutare & tanto Principe dignum ! Hac nimirum  
ratione æmulatus est summos viros & terrarum Domi-  
nos. Charondas Thuriorum Legislator, quia dudum vi-  
derat plerosq; vel optimo natos ingenio rei familiaris an-  
gustia pressos opportuna privari institutione, liberos civiū  
omnes in eodem lido & in primis literarum fundamentis  
instituendos tradi, & ad id mercede & ære publico præ-  
ceptores conduci lege jussit. Trajanus Imperator, quem  
meritò amorem & delicias generis humani cum Tito vo-  
caveris, ne juvenilis ætas suorum beneficiorum expers fo-  
ret, urbibus per Italiā ad alendos & honestè educandos  
liberos plurima largiebatur. Constantinus quoq; Magnus  
quām non tantum cæterarum artium, sed & imprimis sa-  
crarum literarum studiolos amaverit, foverit, juverit, si quis  
est

est qui nescit, legat apud Eusebium. Consulto Alexandrii  
Magnum, Bardam & Alexium Comnenum Imperatores.  
Constantinopolitanos, Aluredum Anglorum Regem, qui  
tertiam suorum bonorum partem in scholasticos contulit,  
Carolum M. Laurentium Medicen, & alios summæ pie-  
tatis & beneficentiae Principes,

*Quorum laus nulla est demoritura die,* Et cum qui-  
bus Illustrissimus noster Princeps munificentia certavit,  
plures superavit, ceteros æquavit, prætereo. Agnosca-  
mus hoc Patris Patriæ summum & commune beneficium,  
Deumq; oremus ut posthac Hujus similes excitare ve-  
lit principes Viros qui id pecuniæ potius studiosis & vi-  
tis doctis quam morionibus & fucis aulicis distribuant. Ni-  
hil addam de publicis edictis, quibus ex justo pietatis  
Zelo cycloicas illas impiorum hominum in Deum &  
Christi beneficia blasphemias retudit: Quibus modum  
in vestitu fieri jussit: quibus luxum & gulam in conviviis  
cohibuit & repressit. Nihil de aliis. Quæ omnia nobis  
sunt argumento, quam Illustrissimus noster Princeps  
amans pietatis & virtutum fuerit: Quam suos subditos  
ad idem assuefieri voluerit, & deniq; quam in omnibus  
boni Principis officia sedulò & diligenter exequi summis  
viribus laboraverit.

Non item probavit (abutar enim vestra benevolen-  
tia & attentione, atq; dictis hoc quoq; adjungam) non, in-  
quam, probavit Illustrissimus noster Princeps vagas, ut  
rasa papisticae idolomaniae dedita solet turba, libidines,  
sed de jussu Apostoli non modò Conjugium debito pro-  
secutus est honore, & omnibus nuptias permisit, verum  
etiam ipse in conjugio vixit, & ita suo exemplo, alios quoq;  
προσ αμιαντοφ κοιτηπ invitavit, & primo quidem anno 1558.  
duxit

duxit pudicissimam, & quæ tam Illustri genere progna-  
tam decent heroinam, virtutibus præstantissimam Eliza-  
betham Iohannis Marchionis Brandenburgici, quem  
prudentem & Severum nominârunt, & Katharinæ Brun-  
suicensis filiam, Quæ cum fato concessisset, anno 1579  
proximè sequente alteram virtutum decore non minus  
conspicuam fæminam Principem Sophiam ex Illustri  
Brunsuicensium & Luneburgensium familia oriundam,  
legitimo matrimonii fœdere sibi junxit &c. quæ, ut ad-  
huc est in vivis, ita ob erectum charissimum Conjugem  
mæstissima vidua luget, & meritò quidem: Pacificè  
enim cum eo toto conjugii tempore vixit, & certè ad  
summam, quam in terris quis consequi potuisset, quod  
attinet, felicitatem, nihil omnino Eis præter sobolem de-  
fuit. Ariston Lacedæmoniorum Rex probatissimis mo-  
ribus fuisse dicitur, adeò ut populus pro eo vota faceret,  
ut filius ei nasceretur, nec tamen præclara soboles interiret.  
O quoties subditi etiam ardentibus à DEO precibus con-  
tenderunt, ut huic Illustrissimo Principi masculam daret  
sobolem, quæ hæres paternæ gloriæ & gubernationis suc-  
cederet, sed vel ingratitudinem nostram, vel quia aliter Ei  
visum fuit, Illustrissimum Principem sine liberis decadere  
voluit. At quanto cum desiderio subditorum: quanta  
cum cura! quanto cum metu! Haberemus jam, qui  
nos & res nostras hæreditario jure sibi curæ esse sineret.  
Haberet Illustrissima vidua, qui Serenissimum Dn: Con-  
jugem facie, mente, virtutibus referret. Haberet senectu-  
ris Scipionem. Quæ nunc in perpetuo luctu & squallore  
versatur & consenescit. Sed Deo ter optimo max: ita  
visum fuit, Ejus voluntati nos subjiciamus, nisi Gigantum  
more ex summa impietate θρυατέρη & ita majus infortu-  
nium



nium nobis accersere velimus. Hæc de togata Illustrissimi nostri Principis gubernatione. Cui si bella gerenda necessariò fuissent, se quoq; Proavo aliisq; agnatis heroibus dignum exhibuisset. Certè cum Belgæ quidam per ejus ditionem ante paucos annos iter in Ungariam facturi pleraq; in agris rusticis hominibus milites armati inermibus eriperent, eos sua præsentia non modò repressit, sed etiam licet parva manu stipatus tantum terrorem incussit, ut Eum ferreum principem nominarint.

Multa, Auditores &c. ut adhuc semel dicam, non tam temporis angustia, quam quia omnibus sunt notissima cogor præterire. Quis enim omnia adducere posset, adeoq; vellat? Et cum talis esset noster Illustrissimus Princeps & sub ejus clientela & tutela subditi ultra quadraginta quinq; annos summa in pace & tranquillitate vixissent,

*Obitus.*

paulò ante paschatos festū aliquo modo ægrotare, Cattarro quodam è cerebro emergente, & post Erysipelate accidente & in febrim degenerante, cepit, quo morbo indies magis magisq; ingravescere. Calendarum Maji ante decimam matutinam, cum triduo ante festo nimirum paschatos sacrosancta Synaxi secundum Salvatoris institutionem quasi certo viatico instructus esset, in vera DEI agnitione & invocatione ex hac miseriарum valle sine omni doloris sensu, & quasi somno suaviter oculos occupante, in cœlestem vitam & æternam beatitatem commigravit, ubi sacrosanctæ Trinitatis conspectu & ineffabilibus gaudiis cum omnibus piis & beatis fruitur & fructur in omnem æternitatem, adeoq; vixit annos 64. dies 20. horas 19. Audivistis Auditores &c. tenui certè orationis filo, quis enim in tanto communiq; luctu ornata phalera-

D taq;



taq; verba desideret: audivistis, inquam, quid amiserimus.  
Amisimus non hominem aliquem privatum, sed summum  
Principem; non Ierobeatum, sed Iosiam; Iosaphatum;  
Ezechiam: Non Phalarim, sed Davidem: non Protheum  
& Caligulam, sed Titum & Trajanum: non Nerōnem,  
sed Theodosium: Non M.Craßum, sed Numā. Amisit Pa-  
tria Patrem. Amisit illustrissima & mœstissima Vidua con-  
jugem suavissimū. Amisit S.Imperiū Romanū columnam,  
in qua inclinatū & collapsum recumbebat & requiecebat.

*Tum deniq; homines nostra intelligimus bona,*

*Cum, quæ in potestate habuimus, ea amisimus.*

Iam postquam Illustrissimus noster Princeps fato cōcessit,  
Experti quanti fuerit, nunc desideramus. Post Antigoni  
cædem rusticus quidam agrum in Phrygia fodiens, cum ro-  
garetur à quopiam quid ageret, Antigonum, inquit, quero.  
De Illustrissimo Principe nostro quid dicam? Nonne si pos-  
sibile esset, ut, quod ajunt, aciculis è terra post sepulturam  
effoderetur & vitæ restitueretur, quem nostrum laboribus-  
ullis, licet durissimis, parsurū crederes? Deo ter opti: max-  
qui unicuiq; vivendi metam, quam transilire non potest,  
constituit, ita visum fuit. Mutari non potest. Interea quod  
nostrum est, Illustrissimum & Serenissimū Principem no-  
bis erexit doleamus, & καὶ ἀξίαν ἀντί lugeamus. Pium  
hoc est, à Deo nobis præceptum est, & ad id sympathia &  
bonis tām corum qui in Ecclesia quām qui extra Ecclesiā  
vixerunt, exemplis invitamur. Moysen vita defunctum &  
in monte Nabone divinitū sepultum universa Israēlitarū  
multitudo tricenos luxit dies, diutius in tanto luctu perse-  
veratura, nisi mos gentis obstitisset. Saylum, licet ob quæ-  
dam, quæ admiserat, delicta Deo displicuerat, ideoq; mors  
eius à Prophetis prænunciata fuerat, universus tamen po-  
pulus



pulus publico luctu cohonestarunt, septem quoq; dierum  
jejunio omnis ætatis & sexus hominib<sup>9</sup> indicto. Deploratus  
item fuit ab omnibus Iudeis Iosias Rex, cum ex vulnera  
in prælio accepto obiisset. Quin imò Hieremias altissi-  
mi Propheta Epitaphium & næniam ei scripsit. Ægyptios  
ajunt sui Regis mortem communi mœsticia lugere, vestes  
dilacerare, templis clausis forum non frequentare, festa so-  
lennia non agere, dies septuaginta duos luto capita detur-  
pantes, cibis animantium coctis, vino, omniq; mensæ appa-  
ratu abstinere : non lavacris, non unguentis, non stratis  
lectis uti, sed tanquam filio defuncto per eos dies mœren-  
tes lugere. Apud Romanos 3. qui genus humanum ali-  
quo affecerant beneficio, tanto cum luctu sepeliebantur,  
ut etiam divinos eis honores concederent. Mortuo Tito  
Imperatore Senatus circa vesperam in Curiam irruit, tanq;  
perpetuo orbatum terrarum orbem defleturus, tantosq;  
ei laudes congescit, quantas nec vivo nec præsenti alias  
unquam. Privata etiam referamus exempla, Hæphestione  
fatis defuncto Alexander Magnus mulis & equis detonsis  
finitimarum urbium pinnacula decussit, tibias & cætera in-  
strumenta canere vetuit, & summum præ se animi dolo-  
rem tulit. Addam etiam, quod idem Alexander, cum Sta-  
tyram Darii hostis à se devicti uxorem ex partu ob conti-  
nui itineris labores periisse audiisset, lacrymas continere  
non potuerit. Iohannis Hunniadis morte per Serviæ  
Despotam nunciata, Mahometum II. Turcarum Impe-  
ratorum totum ferè diem obmutuisse, ex historicis cōstat.  
Adeo tanti viri mortem crudelissimus tyrannus dolebat.  
Cedò quid nos facere oportet? nos inquam, qui non hostē  
& cum quo de vita Imperioq; concertavimus : Non ami-  
cum privatum : non barbari barbarum & à D E O re-

D ij jectum



jectum gubernatorem : non etiam Moysen conscientias  
terrentem : sed Principem amicissimum : sed patrem com-  
munem : sed piissimum , ideoq; D E O gratissimum : sed  
cùm salutis nostræ temporalis tūm æternæ studiosissimum  
amisimus. Si quis drachmam perdidit, dolet, quid faci-  
amus, qui tantum principem, sub cuius umbra in pace &  
tranquillitate diuturna viximus & unusquisq; sub vite &  
fatu sua tutò requievimus, decesse videmus ? Dicere  
aliquis posset : Atqui ad eam pervenit Illustrissimus Prin-  
ceps ætatem, quam ex centum vix unus attingere potest ?  
Fac esse, sed quod Philippus Macedonum ille Rex, Hip-  
parcho vita defuncto, justo ex dolore protulit, nos quoq;  
usurpare & dicere possumus : Tempestivè quidem & jam  
natu grandis decessit Serenissimus Princeps, sed Sibi, non  
nobis, qui ejus beneficiis & cura paterna jam ( proh do-  
lor ! ) sumus privati. Sed, ut ante dictum est, quid facie-  
mus ? R. Uno verbo dicetur : Lugeamus.  
Non quidem, ut illa, quæ

*Deos atq; astra vocat crudelia Mater,*

Nec, ut Deorum templa, quod Druso Germanici filio  
mortuo factum est, lapidemus, & Diis bella indicamus,  
sed potius, quia sicut Domino placuit, ita factum est, æquo,  
etiamsi sit durissimum, animo perferamus &, quid de no-  
bis quoq; futurum sit, perpendamus, ubi facile conjiceré  
poterimus, Deum nobis cùm ob alia eaq; innumera pec-  
cata , tūm extremam nostram ingratitudinem graviter  
irasci, adeoq; de irroganda & inferenda pœna cogitare,  
imò dudum arcum suum tetendisse impositis telis lethali-  
bus: Nam ut Propheta ait: Iustus perit, & nemo est, qui  
id corde expendat, & viri sancti abripiuntur, & nemo est  
qui intelligat: A facie malicie &, antequam pœnæ irru-  
ant

ant publicæ, abreptus est, & veniet in pacem. Sicut enim  
videmus agricolas, ubi tempestatem procellasq; in cœlo  
futuras esse quibusdam signis conjiciunt, certatim incum-  
bunt, famulos hortantur, incitant, cogunt, ut fruges eò ce-  
lerius in horrea congerant & convehant, ne damnum  
aliquod patientur: Ita etiam Deus, quando propter de-  
licta homines est puniturus, ante omnia viros pios & bo-  
nos, ne unà cum aliis & impiis malè affiantur, eripit,  
& vel in cœlestia gaudia vel alia loca, ubi tutiùs degi potest,  
transfert. Sic Noah in arcam, quam Dei iussu fabricaverat,  
cum suis recepto, omnia animantia subitò ortis procellis  
miserè pereunt: Lotho Sodoma cum filiabus educto, pluit  
Dominus à Domino sulphur & ignem, omniaq; illa loca  
funditus evertit. Et quid in exemplis cōquirendis sum oc-  
cupatus? Omnes omniū ætatum historiæ cum quotidiana  
experientia id satis testantur. Nec nos meliore reliquis  
fato natos esse nobis falso persuadeamus: Qui enim, ut alii,  
iram Dei quotidie peccando exasperamus, adeoq; non

*per nostrum patimur scelus*

*Iracunda Iovem ponere fulmina,*

Nobis quoq; persuasum habeamus certissimas quoq; &  
atrocissimas nos manere pœnas. Vitam itaq; nostrā emen-  
demus & Deum ardentibus assiduisq; votis sollicitemus, ut  
securim, q dudum ad radices arborum apposuit, benignè  
amoveat: Faciem verò suam ad nos convertat misericordē  
& afflictos consoletur. Æternus Deus pater Domini Ihesu  
Christi, qui aliàs acceptavit terram suam, & avertit captivi-  
tatem Iacob: Qui remisit iniquitatem populo suo, coope-  
ravit omnia peccata eorum, Benignè misereatur nostri, &  
quæ ipse inflxit, sanet vulnera, ac ejusmodi concedat Prin-  
cipem, sub cuius tutela verbum DEI putè & sincerè audire,

D iiiij usum

usum Sacramentorum retinere incorruptum, & ita in sanctitate, justitia, tranquillaq[ue] pace nobis hic vitam nostram transigereliceat, donec ex hoc mundi ergastulo in cœlestem patriam, ubi perpetua erunt halcyonia, transferamus, AMEN.

¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

## In tuí gratiam, benevole &

studioso lector, Illustre Marchionum Brandenburgensium à Friderico Electore I. Burggravio Noribergensi oriundorum, qui familiam hanc propagarunt, stemma, vacantibus his pagellis, addere voluimus.

**F**ridericus Burggravius Noribergensis, Dominus Franconie & Voitlandiae, à Sigismundo Imperatore in Concilio Constantiensi accipit Marchiam Brandenburgicam, primus ex hac familia Elector constitutus, mortuus est Anno 1440.

Filius ejus ex Elisabetha Bavaria 4. Dnn:

I. Iohannes Voitlandiae Dominus, moritur Anno 1464.  
II. Fridericus Elector II. Multa cum Pomeranis bella gescit: Marchio cum ferreis dentibus dictus. Ejus uxor fuit Catharina Friderici Marchionis Misnici filia, moritur Anno 1470. Utroq[ue] sine mascula prole decerente Electoratus pervenit ad tertium filium.

III. Albertus (a) Franconiae Dominus, Elector III. ob bellorum peritiam & felicitatem dictus Achilles Germanicus. Duas habuit Conjuges, 1. Margaretam Badensem, ex qua linea Marchica,\* 2. & Annam Saxoniam, ex qua Francica propagatur, + obiit Anno 1486.

IV. Fridericus cognomento Pinguis, obiit Anno 1463 sine mascula prole, unde omnes patriæ ditiones ad Albertū pervenerunt.

DE

## \* DE STIRPE MARCHICA.

D. Albertus (a) Achilles ex Margareta Badensi filium  
habuit Dn:

Iohannem Electorem IV. mortuum Anno 1499. Ejus Coniux  
Margareta Saxonica & filii Dnn:

1. Ioachimus Primus, (b) Elector V. mort: Anno 1535.
2. Albertus Archiepiscopus Moguntinus, Elector & Car-  
dinalis, mortuus Anno 1545.

Ioachimus I. (b) Conjugem habuit Elizabetham Dania Regis  
filiam, & ex ea filios Dn:

1. Ioachimum II. (c) Electorem VI. mortuum Anno 1571.
2. Iohannem cognomento Sapientem & Severum qui obiit  
Anno 1571. Habuit ex Catharina Brunsvicensi duas filias:
  1. Elizabetham Georgii Friderici Marchionis Onoltzba-  
ensis. Et
  2. Catharinam Ioachimi Friderici Marchionis Electo-  
ris VIII. Coniugem.

Dn: Ioachimus Secundus, (c) Elector VI. ex Magdalena  
Saxonica filium habuit D:

Iohannem Georgium (d) Electorem VII. &c. Qui obiit  
Anno 1598. & tres duxit uxores:

I. SOPHIA M Lignensem ex qua ei Anno 1546. nascitur filius. Dn:

Ioachimus Fridericus, Elector VIII. cuius ex Catharina  
Brandenburgica sunt liberi: Dni:

1. Johannes Sigismundus natus Anno 1572.
2. Johannes Ge-  
orgius natus Anno 1577.
3. Augustus natus Anno 1580.
4. Albertus Fridericus.
5. Ioachimus
6. Ernestus.
7. Chri-  
stianus Vilhelmus.
8. Georgius Vilhelmus.

II. Altera Iohannis Georgii (d) Electoris VII. Coniux, fuit Sa-  
bina Brandenburgica, ex qua inter alios liberos suscepit:

Sophiam Christiani I. Electoris Saxonis Coniugem &c.

3. Ex



III. Ex ultima conjugе Elizabethа Anhaldina, Iohanni Georgio (d) Electori nascuntur: Dn:  
I. Christianus. II. Ioachimus Ernestus. III. Fridericus.  
IV. Georgius Albertus. V. Sigismundus. VI. Iohannes.

### ¶ STIRPS FRANCICA.

D: Albertus (a) cognomento Achillis Elector III. ex Anna Saxonica suscepit filium alterum: Dn:

Fridericum, qui accepit Franconiam, pater multorum utriusq; sexus liberorum, moritur, Anno 1536. ex cuius filiis familiam propagarunt: Dnn:

I. Casimirus moritur Anno 1527. Ejus ex Susanna Bavaria filius: Dn:

Albertus Voitlandiae Dominus obiit cœlebs Anno 1557.

II. Georgius Pius, moritur Anno 1543. ex tertia conjugе Aemilia, Henrici Ducis Saxoniae filia unicum habuit Filium: Dn:

GEORGUM FRIDERICUM, qui mortuo Alberto Voitlandia potitur, Dux Borussiæ. Duas quidem habuit conjuges:

1. Elizabetham, Iohannis Marchionis Brandenburgici filiam.

2. Sophiam Brunsuicensem. Sed & ipsa moritur Anno 1603.

6. Cal: Maji, de cuius vita & obitu in oratione præcedente.

III. Albertus Primus Dux Borussiæ obiit Anno 1568.

Relicto filio Dn: Alberto Friderico, qui adhuc vivit in Borussia. &c.

DEUS xternus illustrem hanc Dnn: Marchionum familiam in perpetuo flore & dignitate veroq; purioris religionis studio conservet & omnis generis bonis clementer augeat Amen.

¶ CURIAE, Typis Pfeilschmidii.

153553



3

Sb.

A

VD 17





## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



I O

Piissimi, II.  
incipis ac Domini,  
RICI MARCHI-  
RGICI &c. Du-  
&c. beatissima  
in nostri, dum  
entissimi.

.piè in Christo obdor-  
n illam cœlestem  
tisset annos  
S X I X.

n animo habita in  
nnasio,

liis, virtutibus &c.  
& Senatori-  
&c. Do-  
ndis

SSARO

αὶ πλευτίσαντι.

16